

in iudicium deductam, sed non probatam, consequi nequit, etiamsi in actis obiter quaedam adlegata & deducta sint, ex quibus colligere licet, potuisse actorum id, quod petit, alia via consequi, si modo eam eligere non neglexerit.

Quibus ita prouisis & expensis, intellectu non difficile erit, an origo limitum, quibus apud romanos ius dicentis & iudicis officium conclusum est, in iure eorum *formulario* quaerenda, an vero ex ipsius *officii natura* & *aequi* ratione deriuanda sit. Non autem puto humaniori cuidam ignotum esse, praetorem iuri dicundo constitutum *officio* suo, quo verbo *imperium* quoque maioris magistratus siue *potestas* (b) & iussus, cui resisti non potest (c), significatur, vt non solum a PAPINIANO (d) sed & ab ULPIANO (e) proditum est, antiquitus ea ratione functum fuisse, vt ipsemet de facto quoque cognouerit & sententiam protulerit, quippe quod nihil aliud est, quam

iu-

- (b) De varia significatione huius vocis vid. PAVLVS libr. *sing.* ad L. Fuf. Canin. in L. 215. D. de V. S.
- (c) Vid. LVD. CHARONDAS de *Iurisd. & imper.* §. XII. & XIII.
- (d) libr. 3. *Respons.* in L. 3. §. 2. D. de *admin. rer. ad ciuit. pertin.*
- (e) libr. 1. & 35. ad *Edict.* in L. 1. D. *si quis ius dic. non obtemp.* L. 1. §. 4. D. *susp. tut.* & libr. 1. *regular.* in L. 1. D. de *Iurisd.* vbi latissimum hoc ius dicentis officium esse dicit, quia praeter ea, quae simplicis iurisdictionis & mixti imperii sunt, in iis quoque versatur, quae neque iurisdictionis neque mixti imperii sunt. Nam & bonorum possessionem dare, mittere in bonorum possessionem, pupillis non habentibus tutores, tutorem constituere & iudices litigantibus dare potuit.